9

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE MENORRHAGIA.

QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

ANDREAS SAYERS,
HIBERNUS,

Soc. Hon. et Praes. Ann. Societ. Chir. Med.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXII.

Viro Spectatissimo,

LUCÆ GARDINER,

ARMIGERO;

Curiae Hibernicae integerrimo Senatori,

Libertatis Patriae vindici indefesso,

Omnibus iis virtutibus,

Quae virum, aut publicum aut privatum, ornant,

Insignito;

Necnon,

Viro vere probo

JOANNI LAMY, L. L. D.

Cui humanitas, benevolentia,

Sociaeque virtutes,

Praecipue cordi ſunt,

Qui denique generis humani amicus

Merito habeatur;

Primos hoſce laborum ſuorum fructus,

Ob plurima in auctorem collata beneficia,

Grati tanquam animi parvum teſtimonium,

D. D. D Q.

ANDREAS SAYERS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MENORRHAGIA.

PROOEMIUM.

FOETUS humanus in lucem prodit omnibus numeris abſolutus, organo quolibet ad ſuas ipſius functiones idoneo, et glande qualibet ad ſecretiones ſuas (praeter glandulas generationi proprias) adaptata.

Cum primum ex habitaculo caliginoſo emerſerit infans, auram vitalem reſpiret

neceſſe eſt, et novo quaſi ſuperbiens ſitu, novum diem argutis vagitibus ſalutat; ipſa vox, quamvis ipſius uſum adhuc ignoret infantulus, novi heri mandatis et voluntati inſervire gaudet. Varias mutationes quae ex hoc tempore ad pubertatem uſque inducuntur, hic loci commemorare ſupervacaneum ducimus; ſatis ſit obſervare, plethora arterioſa, huic intervallo obvia, diverſas corporis partes gradatim evolvi, et exercitatione uſuque earum functiones validiores reddi et perfectiores; hucuſque inter utriuſque ſexus progreſſum non multum differentiae (externas diagnoſes ſi excipias ab ipſa naturae manu impreſſas) interceſſit. Nunc autem novae ſubeunt mutationes, quae ſexum inter utrumque confirmant certa diſcrimina.

Jamque eruptio menſium virgini in aurem inſuſurrat, γνῶθι σεαυτην. Tremore interno occupatur, atque aliis pudica oculis veteres ſodales intuetur. Haec deinceps naturalis fit et ſalutifera evacuatio, et, veluti pleraeque aliae, diverſis aberrare modis poteſt;

teſt; nimium ſit parca vel profuſa nimium, quorum alterutro aequilibrium, muliebri ſaluti neceſſarium, tollitur, fitque morbus. Quando eſt profuſa nimium, nuncupatur Menorrhagia, quae mihi majoris eſſe momenti videtur, quippe qua non ſolum matris ſed infantis etiam vita in lubrico verſetur, aut mater ipſa, quin amplius ſit pariendo idonea, prohibeatur. Hanc igitur paginis ſequentibus differendam ſelegi, atque illicò ad rem, omiſſa prorſus, de fluxus hujuſce periodici cauſis, diſquiſitione theoretica, feſtinare juvat.

D E F I N I T I O.

" Dorſi, lumborum, ventris, parturien-
" tium inſtar dolores, menſtruorum copio-
" ſior, vel ſanguinis e vagina praeter ordi-
" nem fluxus *."

HIS-

* Culleni Synopſis.

HISTORIA.

Etſi nonnulla hujus morbi ſymptomata naturalem et ſalutiferam menſium eruptionem comitentur, veluti dorſi et lumborum dolores; hi tamen plerumque, imminente fluxu, evaneſcunt. In menorrhagia autem dolores magis intenduntur, ardore, ſiti, pulſu frequenti, cephalalgia et dyſpnoea ſtipati, atque ad finem uſque fluxus perſiſtere ſolent: Haec ſymptomata, cum ſanguinis praeter ſolitum profluvio per longum tempus durante, peculiarem et praecipuum hujus morbi characterem conſtituunt. Accedit interea nauſea et cibi faſtidium, nonnunquam vomitus; et ſi fluxus ſit admodum copioſus, aegra genas pallore occupatur, debilitate, anxietate et ſyncope urgetur, et convulſiones nonnunquam lethiferae ſcenam claudunt. Haec tamen perraro contingunt. Plerumque miſera miſellae protrahitur vita; apud fluxus intervalla, ſaepius

leucorrhoea

leucorrhoea afficitur, comitantibus pallore, debilitate, et omni inanitionis ſigno; languore, praeterea, laſſitudine, et dyſpepſia corripitur; perit cibi appetentia, et ſymptomatum nervoſorum ordo adjungitur, ſicut hyſteria, &c. debilis et frequens pulſus, deprehenditur; macie conficitur; turbatur ſomnus, aegram minime reficiens: Diatheſis leucophlegmatica cum oedematoſis crurum et pedum tumoribus inducitur, et hydropi vel alicui morbo chronico aegra denique ſuccumbit.

DIAGNOSIS.

E cunctis ſymptomatibus cognitis, praecipue vero iis quae morbum ſemper (ideoque pathognomonica audiunt) comitantur, diagnoſin inſtituere oportet. Pauci ſunt, quibus menorrhagia confundatur, affectus; fluxu tamen naturali menſtruo diſtinguatur neceſſe eſt; fuiſſet autem difficillimum abſolutos et quaſi ſibi proprios fines fluxui

naturali

naturali ſtatuere, vel affirmare etiam quando morbidus incipiat, cum ipſa ſalutifera evacuatio tantum in diverſis foeminis, atque etiam in eadem diverſis temporibus, foemina, diſcrepare inveniatur. Sanguinis quantitas quae in *hac* muliere menorrhagia vocaretur, in *illa* foret neceſſaria tantum et ſalutaris evacuatio; hinc, ſi a quantitate ſola concluſionem duxiſſemus, aegrae ſalus, errore tali, in diſcrimine verſaretur. Dorſi et lumborum dolores dyſmenorrhoeam quoque comitantur, vel ex aliis pluribus oriri poſſunt morbis, veluti ex nephritide, lumbagine, &c. Cephalalgia quoque, dyſpnoea, et pulſus frequens, aliam ſibi vindicare poſſunt originem. Si autem ſymptomatum ſtipantium recta ratio habeatur, qualia ſunt iners, languida, et diminuta omnium functionum actio, necnon plus aequo menſium fluxus, e recta via aberraturum medicum parum metuendum eſt. Unus tantum alius reſtat, a quo praeſens dignoſcatur admodum neceſſe eſt morbus, quippe qui non ſolum ad rite praeſagiendum, verum etiam ad diſ-

crimina

crimina in medendi methodo indicanda, non paulum collaturus foret. Hoc ſcilicet eſt haemorrhagia paſſiva e polypo, ſchirro, vel eroſione vaſorum ab uteri cancere oriunda. Namque ſi haemorrhagia in hiſce caſibus eſſet modica, et medicus nimis raptim praeſagiſſet fauſte, periculum eſt ne de cura quam aegrae adhibuerat, vel ipſius de morbi natura judicio, ſententia parum amica feratur. Hic morbus, ni fallor, diſtingui poteſt, haud periodice redeundo, exiſtendo ſaepius ſine iis doloribus menorrhagiam comitantibus, foetore nonnunquam ſtipante, aliiſque canceris praegreſſi ſymptomatibus.

Cauſae ex remotis et proxima conſtant; remotae in praediſponentes et occaſionales, de quibus poſtea, dividuntur.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Vita quiete et otio peracta, necnon lauta et nutriens diaeta, corpus ad hunc morbum praedisponunt; quippe quae non solum plethoram inducant, verum etiam relaxent systema et debilitent; praecipue si his adjungantur conclavia calida, balnea tepida, ebriositas, frequens liquorum calidorum et enervantium dilutio, veluti thea, coffea, &c. Hisce causis mali effectus vigiliarum nocturnarum et matutini sero decubitus annumerentur. Consuetae evacuationes aut suppressae aut neglectae, sicut fluxus haemorrhoidalis, venaesectio, &c. plethoram inducentes, ad causas etiam praedisponentes referantur. Cum primos effectus edant hae evacuationes minuenda in vasis rubris sanguinis quantitate; cumque in sano systematis statu justum semper inter potestates sanguinem propellentes et ex-

cretoria

cretoria eidem resistentia, aequilibrium ponatur; sic venaesectio, minuenda in arteriis majoribus sanguinis quantitate, ex qua earum actio pendet, hoc aequilibrium destruit; ideoque vasa excretoria constringuntur, neque copiam usitatam effundunt; atque, quo saepius iteratur operatio, eo fortior evadit constrictio et viribus distendentibus resistit, sicque statum corporis plethoricum auget. Foeminae, structura debili et tenella, quae aut vitae genere aut morbis habitum laxum induxerunt, in hunc morbum maxime proclives sunt. Sic parturitio frequens et abortus causae praedisponentes habeantur; mulieres, provecta aetate, cum fluxus menstruus eas est desertusus, saepe saepius menorrhagia violenta afficiuntur. Primaria uteri conformatio causa quoque praedisponens habita est, immerito quidem, me judice; namque, ut credam inducor, menorrhagiam ex generali laxitate et irritabilitate systematis pendere; namque, si uterus in culpa fuisset, prima infantili aetate nonnunquam morbus con-

tingeret; contra vero exempla hujufmodi funt perrara, atque, ni fallor, fine caufis potentibus occafionalibus nunquam fere accidunt.

CAUSÆ OCCASIONALES

Hujufce morbi eae fere funt quae magis immediate ad uterum partefque vicinas applicantur, vel quae actione generali momentum fluidorum augent, modoque fecundario in ipfum uterum vires exerunt. Primi generis enumerentur polypi, cancer, &c. Venus, et praecipue inter menfium fluxum, hunc morbum excitare poteft, cum ftimulus fit peculiaris partibus adhibitus (hinc in amenorrhoea utiliffimum et dulciffimum invenitur remedium) vel immodice ufurpata, interjecto inter menfes fpatio, laxitatem uteri et debilitatem inducat. Ictus violenti aut contufiones circa regionem uterinam inflictae, alvus plerumque

adftricta,

adſtricta, aut faeces induratae in recto retentae, hanc vicinaſque ſtimulando partes (in his praeſertim temperamenti irritabilis) et labore expellendi hinc oriundo, menorrhagiam excitare valent. Fluxus quoque haemorrhoidales, utpote qui ſyſtematis aequilibrium variant, occaſionales forſan reputentur cauſae. Secundi generis ſunt exercitatio nimia, veluti ſaltatio, &c. gravia animi pathemata, et totius corporis a lapſu proclivi ſuccuſſus; haec ſanguinis momentum, et quodammodo forte ipſius uteri, actionem augendo, menorrhagiam producere poſſunt.

CAUSA PROXIMA

Ex cauſis remotis conflatur, et qua ſublata, tollitur quoque morbus. Cauſae hujus ſcientia ſummi eſt medico momenti, cum ejus ope morbi naturam et remedia illius curationi idonea penitus calleat, et ſine ea medicinam, empirici inſtar, non niſi

faceret.

faceret. Ex cognitis caufis remotis, ex reducendis ad unam caufam fymptomatibus, ex obfervatis remediorum effectibus, proxima caufa detegenda eft. Auctam ideo actionem vel uteri vaforum praeter naturam laxitatem aut debilitatem, caufam menorrhagiae proximam fpectare, me quidem judice, liceat.

PROGNOSIS

Ad confirmandam medici famam nil magis quam recte praefagire confert; nec alia quaevis artis noftrae pars cautelae plus fibi vindicat: De prognofi prima fere quaeftio verfatur, et refponfi noftri eventus aut malam aut bonam adftantium opinionem conciliat. Morbi hujus terminatio femper ex duratione, caufis, et effectibus, pendet. Quo magis recens, eo facilius curatur morbus; cum contra aliquamdiu duraverit, anorexia et debilitas inducuntur, cum variis aliis

aliis ſymptomatibus admodum ſaepe pertinacibus.

Quando cauſae ſunt temperamento ſolum contingentes, non autem propriae, magis fauſte praeſagire licet. Cum plethora tantum eſt cauſa raro periculum, etſi nonnihil moleſtiae affert; namque evacuatio, ſanguine ſupervacaneo extracto, ſponte plerumque ceſſat. Evacuationes etiam, quae vulgo ultimos menſium periodos comitantur, ſpeciem prae ſe ferunt minitantem, et plerumque nonnihil periculi, perraro tamen mortem inducunt. Accurata denique morbi effectibus et ſymptomatibus attentio ſummi ſane eſt ad rite praeſagiendum momenti. Si ergo obſervatur ſuperſtites eſſe vires, ſemper ſpei locus eſt; ſi contra multum debilitetur aegra, atque ſymptomata ſupra dicta appareant, plus dubii medico, ſpei minus aegrae miſerrimae, reſtat. Quando haemorrhagia e ſcirrho, cancere, vel uteri polypo, procedit, vel quovis eorum ſtipatur, plerumque eſt immedicabilis.

METHODUS MEDENDI.

Indicationes curatoriae, aeque ac prognosis, secundum evacuationis quantitatem, ejusdem causas et symptomata, semper exhibendae et variandae sunt.

Sic, antequam curationem suscipiamus, primo perpendamus oportet, utrum haemorrhagia sit naturalis, ac proinde necessaria, vel morbida et periculosa; hinc itaque utrum omittenda, moderanda, vel prorsus coercenda sit, facile erit praejudicandum. Supra memoratum est, quibusdam esse foeminis fluxum magis quam aliis copiosum, et quaedam temperamenta hoc non solum sine injuria ferre posse, verum etiam earum salutem ex eo pendere. In tali ergo casu, si fluxum ab exitu naturali cohiberemus, maximum faceremus aegrae periculum, cum sanguis supervacaneus viam vi moliretur, vel in quodvis tenerius organum, veluti cerebrum, pulmones, vel alia corporis

ris viſcera, non ſine ſummo vitae diſcrimine, repelleretur.

Ex quibus liquido patet, plurima opus eſſe ad hujus morbi curam diligentia; tunc ſolummodo morbus eſt reputandus, quando profuſa vel ad redeundum adeo frequens eſt, ut inde aegrae vires exhauſtae fuerint. In utroque caſu haud dubie evacuatio eſt coercenda; quamobrem ſequentia ſtatuere conſilia duximus.

I. Sanguinis profluvium moderare.

II. Quin revertatur prohibere.

Quo primo conſilio fiat ſatis, duo ſunt neceſſaria.

1*mo*, Sanguinis impetum per totum ſyſtema, praecipue autem in utero, cohibere.

2*do*, Vaſorum uteri promovere conſtrictionem.

Ad primum conſilium,

Venaeſectio.—Utrum proſit necne ſanguinis in haemorrhagiis detractio dubitavit Dr Heberden, in Lond. Med. Tranſac. atque aſſerit eandem ſanguinis quantitatem, ex ipſa

ipſa haemorrhagia emiſſam, aeque ac venaeſectionem prodeſſe. Attamen uſus venaeſectionis ſalutaris ſubita detractione videtur admodum augeri; ſatis enim compertum eſt, paucas ſanguinis uncias ſubito detractas multo plus commodi quam duplam quantitatem tarde amiſſam allaturas fore. Ac proinde, quando haemorrhagia dorſi parturientium adinſtar doloribus ſtipatur, pleno et cito pulſu aliiſque febris ſymptomatibus, nullum remedium pluſquam venaeſectio levaminis pollicetur; non ſolum maxime celerem et perfectam depletionem facit, verum etiam, praemiſſo hoc remedio, ad adſtringentia nullo periculo, et multo majore quam prius efficacia, decurratur. De quantitate nil certi ſtatuere poſſumus; nec quicquid aliud quo dirigamur habemus, praeter aegrae vires et aetatem, ſymptomatum faciem, annique tempeſtatem. Oportet tamen inter exhibendam V. ſectionem ne ſtatus ſyſtematis contrarius inducatur, et morbus inde ingraveſcat, quam cautiſſime noſmet geramus.

Regimen

Regimen antiphlogiſticum.—Cibus, ſcilicet, minimum ſtimulum praebens. Omnis cibus in ventriculum ingeſtus ſyſtema plus minus ſtimulat, quod pulſu citatiori plane demonſtratur; quare neceſſe eſt alimenti ſtimulum quantum poſſumus vitemus, id genus praeſcribendo quod minimum ſtimulum creare ſolet. Quanto plus ad naturam alkalinam appropinquat cibus, eo plus ſtimulat; omnis ergo victus animalis ſedulo evitandus, ſoluſque vegetabilis uſurpandus. Vegetabilium, farinacea, utpote ſolutu faciliora, ideoque minus ſtimulantia, omnibus aliis, me judice, praeponenda.

Potus quoque ſtimulans minime uſurpandus; ab omnibus ſpirituoſis ac fermentatis liquoribus aegra abſtinere debet, eorumque loco potus aquoſi admiſtis, palati gratia, acidis exhibeantur.

Aër frigidus.—Eorum omnium quae ſyſtemati animali admoventur, calor potentiſſime ſtimulat, cum fluida rarefaciendo, tum ſolida relaxando; diligenter ideo praecavendus eſt.

Oportet conclavis aërem eſſe tempera-

tum, vel potius frigidulum, atque levis teges (quippe quae lumbos totumque corpus frigidulum ſervet) lecto molli anteponenda; ſtragula oportet eſſe levia, atque lintea, quippe quae aërem libere egredi et regredi patiantur, laneis praeſtant. Quamvis autem caloris ſtimulus ſemper evitandus eſt; quibus tamen finibus coerceatur, frigus admittendum haud dictu facile, cum ipſius actio diverſis in caſibus adeo ſit diverſa. Frigus ad certum gradum vi tonica gaudere invenitur, ideoque perniciofum augendo niſum haemorrhagicum jam nimis fortem putaretur; cumque etiam frigus vim aſtringentem exerat in ſuperficiem, ſicque ſanguinem in partes interiores propellat, facile perniciofum concludatur: Contra videretur conſtrictionem partibus interioribus impertiri; atque experientia, quae omni theoria potior aeſtimanda eſt, rem ſic ſe habere oſtendit: Contraria proinde opinio prorſus omittenda; namque menorrhagiae extiterunt typi maxime periculoſi, ſyncope frequenti, et in longum continuata, ſtipatae, pulſu debili et intermittenti ubi aegrae morbo

morbo ſuccubiturae, admiſſo aëre frigido, ad vitam quaſi revocatae fuerint.

Corporis animique requies.—Quaevis corporis exercitatio ſanguinis ad cor reditum accelerat, ideo frequentes ipſius contractiones ciet, quare ut aegrae penitus quieſcant, praeſcribendum. Omniſque ſermo parum neceſſarius, utpote qui reſpirationem et ſanguinis per cor et pulmones velocitatem augeat, ſedulo praetermittendus. Animi quoque pathemata, quorum vires per totum ſyſtema omnibus fere innoteſcunt, praecavere oportet. Habeat ergo aegra placidum, ſerenum, atque ab omni moleſtiae cauſa remotum, animum.

Corporis ſitus idoneus.—Sanguinis impetus et velocitas vel augebitur vel minuetur, ea ratione ac ipſius gravitas favet vel obeſt ſanguinis in corde motui; quamobrem ſitus corporis erectus eſt amicus ſanguini per aortam deſcendenti, evacuationem ſemper augebit, ideoque evitandus. Ægra horizontali ſitu collocari debet, clunibus paulo altius corporis trunco erectis; ſin hunc ſitum

tum perquam ingratum ſentiat, ad alium quemvis pro re nata confugere licet.

Laxantia lenia.—Faeces induratae in majoribus inteſtinis retentae non ſolum vicinis partibus, verum etiam toti ſyſtemati, ſtimulum praebent, interdumque poſſunt evacuationem ſuſtentare; etſi vero laxativa maxime lenia quodammodo ſemper ſtimulent, quod eorum uſum in morbo, quo omnis irritatio vitanda, prohibere videtur; minus tamen periculi ex ſtimulo laxativorum temporaneo, quam continua materiae peccantis irritatione, metuendum eſt.

Oportet laxativa eſſe mitiſſima, qualia ſunt cremor tartari, ol. ricini, &c. Enemata emollientia, quando exhiberi poſſunt, praeponenda, cum alvum citius et minore ſtimulo adhibito exonerent.

Sedativa.--Horum praecipuum eſt opium, medicamentum a nonnullis medicis acriter commendatum, quodque magis univerſe ullo alio medicamento uſurpatur. Diatheſi phlogiſtica abſente vel ſublata, per ipſam haemorrhagiam aut venaeſectionem, tunc

tunc opiata ſine ullo periculo exhibeantur. Quando autem dolor vel irritatio uteri accidunt, vel aegra violentis animi pathematibus ſine juſta cauſa ſubjiciatur, nullum medicamentum in hiſce effectibus levandis magis prodeſſe invenietur.

Refrigerantia.—Hoc acida ſaleſque medios complectitur, quae vi propria ſedativa pollent, qua impetum ſanguiferi ſyſtematis refringunt, itaque ſaepius in haemorrhagiis uſurpantur; eorum modus agendi non facile explicatur, tali vi gaudere nobis ſat eſt noviſſe. Vitriolica et vegetabilia acida plerumque adhibentur; potiora ſunt vegetabilia, quia majore quantitate ſumi poſſunt. Ex mediis ſalibus optimum eſt nitrum; cumque ejus vires generandi frigoris cito poſt ſolutionem ceſſent, ipſius efficaciam ſtatim poſt ſolutionem magnopere augeri ſupputatur; interdum vero tuſſim provocat, ex quo creditur pernicioſum eſſe aegris haemoptyſi laborantibus. Nonne poteſt aeque in hoc morbo ac in haemoptyſi concuſſione illata obeſſe?

Potus

Potus frigidus.—De uſu frigoris externe admoti ſupra dictum eſt; reſtat tantum de uſu ejus interno pauca proferre. Hoc remedium Hoffmannus aeſtimabat praeſtantiſſimum, quod ſaepius et copioſe cum maximo ſucceſſu exhibebat. Atque Dr Leake enarrat ex nonagentis foeminis aegris, quarum plurimae menorrhagia affectae ſunt, omnibus hanc tractandi methodum ad vota ſucceſſiſſe.

Cum ſimilis ſit interne externeque operandi modus, tantum obſervandum eſt, niſi diatheſis phlogiſtica ipſius uſum prohibeat, liberrime uſurpandum; debili autem et magnopere exhauſta aegra, jus lenius bovinum, frigide ſumptum, aquae multo praeſtabit.

Emetica.—Dr Robinſon, cui haec videntur eſſe chariſſima, nullum eſſe aſſerit, in omnibus haemorrhagiis, utilius remedium; necnon Dr Cullen nonnullis in caſibus haud minore ſucceſſu praeſcripſit. Quamvis autem duobus nominis tanti viris ſanciantur, violenta tamen concuſſio, ex pleno vomitu oriens, ſatis a priori eſſet ne adhiberemus

prohibere:

prohibere: Cumque ſatis innoteſcat quantam vim in ſuperficiem exerant, eoſdem orituros effectus, exhibitis tantum ad nauſeam excitandam doſibus, ſi quando neceſſaria inveniantur, haud nefas eſt concludere. Multi alii modis quibus minueretur ſanguinis verſus uterum profluvium commendati ſunt, veluti *ligaturae*, *frictio*, *balneum tepidum*, &c. Etſi vero ſanctio veneranda medicorum perquam illuſtrium attentione noſtra haud indigna videretur, cum doctrina tamen, cui hae methodi nitebantur, penitus jam ſit peſſumdata, cumque evidenter curationi obſint, horum opiniones ſilentio praeterire ſatius duximus. Nunc ad ſecundum caput veniendum eſt, vaſorum nimirum uteri contractionem promovere, quod fieri poteſt ab

Aſtringentibus, aut interne aut externe adhibitis; de uſu eorum interno multi dubitavere, nonnulli etiam pernicioſum exiſtimant. Plerique crediderunt aſtringentia haemorrhagiam coercere ſanguinis maſſam ingreſſa, in vaſa haemorrhagica praecipue agendo. Quam

Quam vaga autem haec theoria apparebit, si tantum astringentis actionem in partem certam notemus; dein vero citam ipsius per totum systema operationem; nam neque concipi neque fieri potest, dosin dividi adeo posse, ut cunctas peculiares partes nedum morbidam pervadere queat. Quamobrem ad aliam ratiocinii methodum decurrendum est; atque hoc videtur esse consensus fere universus ventriculum inter et alias corporis partes existens; si quando astringentia necessaria judicantur, alumen, utpote vegetabilium potentissimum, et fossilibus aliis minus periculosum, praeferri mea quidem sententia debet. Quamvis multum commodi ex eorum interno usu sperandum, nos tamen oportet externam applicationem haudquaquam negligere; sublata enim

Diathesi phlogistica, nulli remedio cedunt. Hoc genus complectitur omnes frigidas, aut lumbis, aut regioni uterinae, applicationes, pannos scilicet, aqua pura, vel misto aceto, immersos, liquores frigidos in vaginam, arte Ruyschiana, immissos. Curandum est interea

terea pannos perpetue humidos esse, vel antequam calidi evadant removendos, ne hoc modo consilio fraudemur. Modis haemorrhagiam coercendi jam memoratis; nunc quomodo ne incrudescat morbus prohibeamus, dicere aggrediar. In hac parte a caussis morbum inducentibus dirigi prorsus debemus; sic, si a plethora ortus fuisset morbus, tenuis diaeta, exercitatio, &c. sin debilitate, tonica praescribenda.

Diaeta tenuis, &c.—Talis est in statu sano oeconomiae animalis conditio ut ingesta inter et excreta justum aequilibrium servetur; si autem ingestorum quantitas excretorum rationem superat, plethora inducitur; hoc ad pubertatem usque ut crescat corpus opus est; sin corpore perfecto, quando ingesta inter et excreta justum debet poni aequilibrium, haec dispositio continuatur, diathesis phlogistica orietur; quae praecavenda est rationem statuendo inter egesta et ingesta, quod fieri potest *haec* minuendo vel *illa* augendo; haec fiunt diaetam dirigendo, *illa* exercitatione. Alimentum ideo minui

vel minus nutriens esse oportet. *Imbecilla materia* Doctoris Hume, ad hoc constituitur optime; cavendum tamen est, ne nimis subito ex plena dieta ad contrariam convertatur aegra. Exercitationis genus secundum temperamentum moderetur; corporis agitatio periculum semper affert; ideoque gestatio omnibus aliis exercitationis modis anteponenda.

Tonica.—Plurima ad hoc caput referantur remedia; balneum vero frigidum et chalybeata cunctis caeteris praeferre liceat.

F I N I S.